

TABULA QUADRAGESIMA SEXTA.

LATHYRUS TINGITANUS. *Lim. Syst. pag. 487.*Lathyrus pedunculis bifloris; cirrhis diphyllis; foliolis alternis lanceolatis. *Roy. prodr.*

7. pag. 363.

Lathyrus tingitanus, siliquis orobi, flore amplo ruberrimo. *Moris. hist. 2. pag. 55. f. 2. 1. 3. f. 1.*

Planta glaberrima & annua, primo vere sub dio sata, floret Julio & Augusto. Caulis ramosus utrinque in marginem tenuem acutumque excurrit. Petioli angulati sustinent duo foliola lanceolata, subtus nervosa, brevissime petiolata, opposita aut alternantia; terminanturque in cirrhos bifidos, trifidos simplicesve. Stipulae sunt lanceolatae & acuminatae, basique in similem auriculam, sed multo minorem, deorsum producuntur. Pedunculi plerumque sunt biflori; quos tamen etiam unifloros observavi eodem in individuo omnes. Calyx sub vexillo purpurascit. Corolla inodora elegantissime ex purpureo rubet, vexilli discus inferior saturatissime. Carina alis concavis brevior est multoque angustior. Legumen fuscescens ad semina torosum leviterque compressum sex septemve semina continet, vix angulata & ex fusco atroque varia.

TABULA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

LACTUCA TUBEROSA.

Sub titulo Lactucæ creticæ tuberosæ accepi hujus plantæ semina. Synonymon non reperio. Lacte candido, ad aërem aurantiaco, turget tota, vel adeo in calycibus, ut ex his, etiam non ruditer tactis, illico guttatim exudet. Radix perennis in crura oblonga dispescitur, foris fusca, albicantia intus. Altero ætatis anno caulem unicum emisit, tertio duos. Folia sunt spinoso-dentata, infima integra, superiora sinuato-pinnatifida. Atque talem altero ætatis anno florentem tabula plantam exhibet. Tertii autem anni caulis alter erat foliis omnibus integris; alter depicto similis quoad folia inferiora; at in hoc caulina erant integerrima; caulis medius elongatus solitario flore terminabatur, auctus ramis axillaribus tribus paucifloris. Folia radicalia quotannis prodeunt obverse lanceolata aut spatulata; ut adeo foliorum suorum figura valde ludat planta. Hæc in hybernaculo, in quo hyemem agit, jam hyeme proveniunt, pereuntque proximo vere, dum caulis in conspectum prodit. Flores brevibus crassisque pedunculis insistant; corollis ex cæruleo dilute purpurascensibus. Semen nigrum, nitidum, planum, superne breviter acuminatum; instruitur pappo stipitato.

TABULA QUADRAGESIMA OCTAVA.

FORSKOELEA TENACISSIMA. *Lim. Syst. pag. 321. mant. 72.*Chamædrifolia tomentosa mactacensis. *Pluk. alm. 97. t. 275. f. 6. Shaw. afr. num. 53.*

Ex radice fibrosa & annua caulis assurgit unicus, teres, pedalis vel sesquipedalis, totus ramosus, partim rubens, partim dilute virens, punctis adpersus sanguineis, pilis albis hispidus, erectus. Folia sunt alterna, ovata, basi integra, laxè ferrata, acuta, pallidissime virentia, margine pilis brevibus ciliata, utrinque pilis brevissimis vestita, in dorso



Lactuca tuberosa